


J. Mynde sc.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ABORTU PRÆCAVENDO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS VANDEN HONERT, T. H. FILII,
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE FACULTATIS, NEC NON
HISTOR. ECCLES. IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDI-
NARII, ECCLESIÆQUE LEIDENSIS PASTORIS:

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*,
& *Nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis,
ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

MOSES GRIFFITH, ANGLUS.

Ad diem 30. *Octobris* 1744. *horâ Decimâ matutinâ*,
locoque ſolito.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud GERARDUM POTVLIET, 1744.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ABORTU PRÆCAVENDO.

§. I.

De abortum præcavendi ratione dicturo, non incongruum eſſe videtur, ſtatim ſub initium, ejus definitionem præmittere. Eſt ſcilicet fœtus humani nondum perfecti, vel vivi, vel mortui præmatura excluſio.

§. II. Dum autem Abortum fœtum nondum perfectum dicimus, eum volumus, qui non per legitimum ac debitum tempus in utero materno enutritus eſt, ut extra matrem vitam longiorem ducere poſſet. Namque ut omnibus certum naſcendi tempus a Naturâ præſcriptum eſt animantibus, ita & princeps eorum homo, ex conſtantiore naturæ lege, poſt novem menſes aptus ac idoneus fieri poteſt, qui in lucem prodeat, adeo quidem, ut quanto majori intervallo ab eo tempore abſit, tanto minori perfectione gaudeat, tanto verò perfectior habendus ſit, quanto propius ad illud accedit. Quamobrem a primâ conceptione, uſque ad ſeptimum menſem, omnes qui excludun-

tur pro imperfectis, adeoque abortibus, habendi ſunt, Cum intra hoc ſpatium ad eam maturitatem, quæ pro vitâ infantis requiritur, nullo ~~negotio~~ modo pervenire potuerunt. Itaque vel jam mortui expellentur, vel non ita multo poſt, vitam quam maturius acceperunt, iterum amittent. Aliter ſentiendum erit de fœtibus, poſt ſeptem & octo menſes procreatis, qui jam ordinario partus tempori propiores, ſubinde, cæteris paribus, in vitâ permanent; hinc pro abortibus neutiquam ſunt habendi.

§. III. Non verum omni commemorato prius tempore, abortus æque frequentes eveniunt; ſed ſub initium graviditatis crebriores exiſtunt, omnium vero plurimi inter ſecundum menſem & tertium, ut cuivis paulo in his verſatiori conſtat, animadverti ſolent. Quare itaque ſub nomine abortus, & falſum germen, & magnam molarum partem, non complecti debeamus, nulla ſufficiens diſſuadere videtur ratio. Ex quocunque enim ovulo perfectus potuiſſet enaſci homo, quamvis deinde vitiis variis in utero immutatum fuerit, ad abortus referendum credimus.

§. IV. Diximus quid abortus ſit, & intra quod tempus talis appellari debeat, proximum eſt, ut videamus quomodo, & per quas cauſas, ex arvo muliebri ante tempus excutiatur; quod ut eo facilius intelligi poſſit, liceat hic pauca de ſtructurâ uteri, & connexione fœtus cum matre diſſerere.

§. V. Uterus, mirabile illud pariter ac commune omnium mortalium habitaculum, libere quaſi fluctuans, & ex ligamentis ſuis pendulus, in cavitate oſſium pelvis, fœminis quam in viris multo ampliori, ſuſpenditur, inter rectum ſibi poſterius, ac ſibi anteriorem veſicam, formâ pyrum compreſſum quodammodo referens. Membrana, a vicino orta Peritonæo, quæ eum exterius undique veſtit, valentiſſimum etiam vinculorum ejus, ligamenta lata efficit, quibus lateribus Pelvis alligatur. Namque Peritonæum, quod fundum veſicæ veſtiverat, & ſe demittendo partem ejus poſticam veſtit, iterum verſus ſuperiora replicatum, anteriori uteri parti, dein poſteriori circumducitur, ex quo fit, ut utriuſque ſuperficiei lamellæ continuatæ, ac ultra latera uteri productæ, duplicatam efficiant mem-

bra-

branam, quæ uſque ad appoſita pelvis latera protenſa, continuatur Peritonæo latera pergente tegere : ſicque in duas quaſi cameras, pelvis cavum dirimit. Rotunda autem ligamenta, per annulos muſculorum abdominalium producta, maximam partem ex vaſis conſtant, quibus inter externa internaque genitalium communicatio potiſſimum a naturâ ſtabilita videtur.

§. VI. Hic ita tectus atque firmatus, cavum habet, quod triangulari fere ſpatio ſimile efformatur, fabæ plerumque capax, ac tribus, quemadmodum veſica urinaria, locis pertuſum eſt. duo ad laterum interiorum ſummitatem, ubi fundus, multo reliquo latior utero eſt, ad canales proprios, tubas ſcilicet fallopianas, patent; tertium amplius, a duplici uteri pariete, ſibi incumbente, anguſtatoque in papillæ, aut reſecti coni ſpeciem connivens, mox in ſubjectam vaginam deſinit. Hoc notiſſimum illud os, ſive orificium uteri internum eſt, quod vagina ad pollicem circiter ſupra aperturam amplectitur, eique circumcreſcit, ita ut turgidi inſtar annuli, intra illam promineat.

§. VII. Quod ad ſubſtantiam uteri attinet, Parenchyma dixeris, cui aliud nullum, niſi glandulas velis, in toto corpore ſimile reperitur; quodque, niſi cognoveris, nunquam poſſis credere, tot ac tantarum mutationum capax eſſe, ac revera in eo contingunt. Quæ in minimo tenellæ virginis utero, vix ac ne vix quidem, conſpici ac cognoſci poſſunt vaſa, deinde cum gerit, in immane diſtenta apparent, ac qui modo pene nullus erat, omni abdomine poſtquam vicina viſcera priſtinis expulſit locis, pleraque in anguſtius ſpatium coegit, extumeſcit ſibi ipſi diſſimilis. Videtur tamen, prorſus, præter fibras nerveas ac muſculares intertextas, totus ex vaſis conſtare, quæ copioſiſſima ex Iliacis, Hypogaſtricis, ſpermaticis accipit; quæque in exteriori ejus ſuperficie ubi intrant, latiora, dein ſenſim magis magiſque, ſparſis undique ramis, minora facta, omnium minima, circa ejus interiora fiunt. Variè autem in ſe invicem ducuntur, ac ſecum communicant, multa etiam ex minimis, ſimili ratione ac multis in aliis corporis partibus, in cavum uteri hiantia, tenuem ac lubricum humorem in illud

exſudant, cujus partem, bibula venoſa ſimul reſorbent: Sicque affluxui & ſecretioni novæ, locum faciunt. Ex his pariter extremitatibus, per anaſtomoſin dilatatis, maxima menſtrui ſanguinis pars effluit, & ubi nimium laxata, ac quaſi paralytica facta ſunt, fluoris illius albi ſedem atque locum conſtituunt. Ubi vero os uteri, valvulis rugoſis obductum eſt, ibi in parte ejus interiore, & ſupra eam, ſmegma aliquod tenax ac mucoſum, ex cryptis vaſculoſis, circa illud poſitis, ad obliniendum hunc locum, ac quaſi conglutinandum, paratur.

§. VIII. In hoc verum uteri cavo, conceptio fit, & omne fœtus incrementum. Hic ille ager naturæ fertilis eſt, in quo ſata ſemina, ex ſapientiſſimi Creatoris inſtituto, fœcundantur, & progerminant. Nempe ovulum fœcundum, ſtatim ac in uterum venit, multos humores offendit, quibus liberum adhuc ab omni nexu innatat; quique in ejus nutrimentum cedunt, ſive per poros ovi penetrent, ſive per vaſa, etiamſi minima, abſorbeantur. Multo enim adhuc amplior eſt illa parva uteri capacitas, quam magnitudo ovi, modo advenæ; hinc opus eſt, ut in omni ſuo ambitu increſcens, prius turgidum fiat, quam ad propiorem cum matre nexum pervenire poſſit.

§. IX. Etenim ovum recens, membranâ undique clauſum, ac terminatum eſt, in quo nihil adhuc diſtinctè apparet, niſi quod limpido diſtentum ſit liquore. Hoc ſenſim majus, & poſt aliquod tempus villoſum fit, tenuique lanugine hirſutum, quâ ſe applicat cavo uteri, quod jam propius contingit, & gradatim, ſubtiliſſima hæc filamenta in illud inſinuat, & quaſi intexit. Deinde ex utero viciſſim, ſimiles productiones emittuntur in membranam ovuli, quod cum paulo ante vagum, ſine nexu erraret, jam mutuis vinculis firmatum, utero interno adhærere incipit, hæc membrana exterior cingens ovulum vocatur Chorion, intra quam alia fœtui proxime circumpoſita cui nomen Amnii eſt liquore ſuo repleta, collocatur. Ex ipſa Chorion, tempore aliquo interjecto, poſt adhæſionem ovi cum matre, alia villoſa vaſcula, prodire obſervantur; quæ ſenſim Placentam conſtituunt. Hæc (ſcil. Placenta) per vaſculoſa filamenta, Uteri fundo plerumque annectitur, & conſtat ex mirifica

rificâ vaſorum congerie, & reticulato contextu, quæ cum fœtu, per ſingulares canales, nempe duas arterias unamque venam, intra funiculum umbilicalem, qui in humano fœtu longiſſimus eſt, contortas communicant. Unde via quædam mutua efficitur, intra fœtum & matrem, & ſyſtema harmonicum ſtabilitur, quod fœtus augmento & nutritioni dicatum eſt.

§. X. Scilicet per Chorii & Placentæ ramos, cum utero conjunctos, alimentum perpetuo novum accipit, per venam umbilicalem, ex placenta ortam, in corpuſculum ejus deducendum; humorem vero a nutritione ſuperſtitem, per duas umbilicales arterias, in placentam, & ex hac in matrem remittit; tali modo non ſolum increſcit, ſed & omnes circa eum poſitæ partes, & uterus ipſe, magis magisque extenduntur, augentur, & mole ſuâ turgeſcunt. Quod dum fit, uterus maxime omnium amplificatur, ac fere globoſam figuram recipit, non quod verum, ex appoſitione eſt ortu novarum partium, incrementum accipiat; ſed tantum admiranda ejus vaſorum, in omni dimenſione, extenſio fiat. Unde prius denſa ſubſtantia, cavernoſa, & hiatuum plena efficitur, atque etiam in cavo ſuo inequalior reddita, foveas & eminentias accipit, quibus placenta ſimilibus vel protuberantiis vel ſinubus reſpondet.

§. XI. Tantum autem abeſt, ut per maximam illam expanſionem, uterus vim ſuam contractionis amittat, ut etiam poſt partum, brevi tempore ſe in priorem, ac pene virgineam exiguitatem recipiat.

§. XII. Quibus ita præſtructis, opportunum erit ad modum quo abortus fit, progredi, & rationem inveſtigare, ſine quâ evenire nequit. Quam ut inveniamus, repetendum eſt ex ſupra dictis, ovulum non ſtatim connecti, ſed liberum aliquamdiu manere; poterit ergo, ante conjunctionem ſuam cum matre, elabi, & ut ſæpe accidit, abortivum fieri. Ubi autem jam connexum eſt, aut per aliquod tempus fuit, nullo modo excludetur, niſi prius ſejunctum fuerit. Quare non in ſolâ placentæ ſeparatione, cauſa abortus proxima ponenda, ſed in ovuli, vel liberi, vel a nexu ſuo cum matre ſoluti, expulſione

ne

ne collocanda erit. Imprimis cum manente placentæ adhæſione, abortus fieri poſſit, ubi funiculo umbilicali rupto, fœtus non amplius cum placentâ communicat.

§. XIII. Cum vero poſitâ licet libertate ovuli, aut placentæ, funiculive umbilicalis ſolutione, nondum intelligi poſſit, quomodo illud uterum relinquat, & foras erumpat, niſi ſimul vires quasdam expellentes, in auxilium vocemus; paucis & hæ nobis conſiderandæ erunt. Orificium uteri, peractâ conceptione, connivens & certâ ratione clauſum obſervatur, & nihil transmittere, niſi determinata illa vis, quâ ſuæ dilatationi reſiſtit, ſuperata fuerit. Hæc autem vis, in ipſo maximè utero, abortum patienti, quærenda eſt. Viva enim ejusdem perceptio, & ſenſus acutiſſimus eſt, quem quævis irritantia aut rodentia, ita excitare poſſunt, ut in ſpasmodicas, ac vehementes contractiones cieatur. Et tunc quidem temporis, in ejus contenta valde agere poterit, ea urgendo, & ad inferiorem ſui partem protrudendo; ex quo ipſe, ſoluto tunc plerumque jam fœtui, portam aperiet. Neque enim muſculi abdominales, ejus vires tam multum adjuvare dici poterunt, cum in maximo abortuum numero, nondum adeo tenſi ſint, nec undique eum comprimere, aut oſtium ejus aperire poſſe videantur. Tamen non multum diſputaverim, augmentum aliquod virium, ex illorum & Diaphragmatis contractione, utero accedere poſſe; utique quo magis abortus ſeptimo jam menſe vicinus fuerit. His pro virili exactis, cauſarum expoſitionem aggredimur, quæ memoratas conditiones effeciſſe obſervatæ ſunt.

§. XIV. Primo itaque loco, illorum mentionem faciemus, quæ abortum, ejusque cauſam proximam maxime efficere poſſunt, quod ſanguinis motum accelerent, illius circumeuntis vires intendant, & hac ſimul ratione, majore impetu ad uterum propellant. Febres volo, quæ cum pulſus ſemper celeritate conjunctæ, omnem liquidorum maſſam, auctâ ſolidorum contractione, fortius exagitant. Huc autem fœminæ Plethorâ laborantes, tanquam ad abortum valde proclives, pertinent. Namque fœmina, a naturâ laxioris compagis facta eſt, ut plus ſanguinis, quam ejus vitæ opus eſt, conficiat, alendo

fœ-

fœtui, ubi gravida ſit, inſerviturum. Inde ſtato tempore, extra graviditatem, a plethorâ, & ex abundanti ſuo ſanguine, per vias conſuetas naturaliter liberatur. Non tamen Plethora, ſi ſolam ſpectes, detrimenti aliquid affert; ſed uti apta & fœcunda multorum morborum mater, ita & abortus fieri poteſt, ſi ex tranquillitate ſuâ, quod levi negotio efficitur, commota fuerit. Ubi Plethora adeſt, ibi gratiſſima illa ſanitati mediocritas abeſt, quam ſibi ſolam proficuam eſſe videmus.

§. XV. Applicatis ergo illis, quæ circulationem augent, quæ infinita & ſæpe levia eſſe poſſunt; hæc major ſanguinis quantitas commovebitur, plus in cerebrum deferetur; unde natâ uberiore liquidi nervoſi ſecretione, major ejus copia fluet in cor; quod inde ad crebriores contractiones, velocioremque ſanguinis projectionem excitabitur. Unde vaſa magis dilatata, ſanguinem fortius compriment, ejus particulis & inter ſe invicem, & ad vaſorum parietes attritis, totum excalefacient. Exorto inde calore majori, pulſus crebrior fortiorque, omni corpore rarefactionem inducet, ac intumeſcentiam; imprimis earum illius partium, quæ ob laxitatem ſuam minus reſiſtunt. Hic ſanguis ita fervidus & attenuatus, jam validiore impetu, in latera vaſorum incurrens, canales minimos diſtendit, ut vaſa minima ſuæ appropinquent rupturæ; ex quo dolor ſuperveniens, malum auget fovetque, plus liquorum attrahendo. Quid ergo obſtat, quo minus & ipſe uterus ſimili ratione afficiatur, qui ſtatim a conceptu turgere, & humoribus dilatari obſervatur? nunc etiam ab aucto motu, plus humorum accipit, quorum vim ac impetum tranſeuntium, minima vaſa, fœtum cum matre nectentia, ferre non poterunt. Inde hæc molliſſima præcipuè ſub initium graviditatis, ita recedent, ut ex ſubſequenti continuitatis ſolutione, oriatur Hæmorrhagia, circa ovum ſe diffundens, uterumque replens. Quamobrem exſtincto embryone, vel fœtu, tota hæc maſſa jam iners & gravis, vel ſui corruptione, vel pondere, vel utroque, irritabit uterum, in ejus orificium gravitabit, ſicque eo dilatato, accedente ſimul contractione uteri, contenta projicientur foras. Sæpe autem accidit, ut qui jam ſolutus eſt fœtus, per multos adhuc dies,

B vel

vel quatuordecim etiam, intra uterum reſtet, & humore ac calore loci, talem fœtorem & acritudinem acquirat, ut productis inde convulſivis uteri contractionibus, ejiciatur. Sæpe etiam grumoſi ſanguinis ſpecie exit, quod ipſum inſciis & mulierculis, & aliis, pro ſolo ſanguine concreto imponit, neſcientibus, fructus uterini primordia, intra coagulatum illum cruorem contineri.

§. XVI. Morbi acuti inflammatorii, qui cum febre concitatâ, ac intenſiore æſtu, totum corpus perturbant, eodem modo in uterum ac fœtum poſſunt agere. Unde jam ſuo tempore, tanquam gravidis periculoſius omne genus acutorum damnavit Hippocrates.

§. XVII. Exercitationes corporis vehementiores, maximè in ſanguine divitibus, cum per iteratas ſubito muſculorum actiones, transfluentem ſanguinem venoſum, celerius ad cor promoveant, illud proinde ad frequentiores contractiones irritent, jure quodam ſuo ac merito huc referendæ ſunt. Nec aliter comparatum eſt, cum Emmenagogis & Ecbolicis Medicamentis, quibus quædam ſceleratæ mulieres, inhumano ac nefario planè conſilio, in viſcera ſua ſæviunt. Nam ſi quid illis efficitur, hoc quicquid eſt, calidæ eorundem virtuti debetur, omnia ſtimulanti & in violentiores, per ſpasmos irritationesque, conjicienti motus.

§. XVIII. Sunt vero alii hoſtes, non minus tenello timendi fœtui, quin etiam crudeliores; per hos intelligo, quæ preſſione ſuâ, ac violento impetu efficiunt, ut uterus totus commoveatur. Huc refero omnes violentias externas, nempe ictus graviores, in locum abdominis, ubi uterus ponitur, illati; Qui vel liberum ovum excutiunt, vel concretum, vinculis ſuis exſolvunt, aut qui vaſcula uteri confringunt & atterunt, unde ſugillatio, & dolentes inflammationes exoriantur. Ex quibus Fœtus facilè detrimentum, & citiorem exitum capiat.

§. XIX. Saltus ex altiori loco, ſæpe etiam abortum acceſſiſſe viſi ſunt, eam maximè ob rationem, quod totum abdomen concutiendo, magnis in uterum viribus agunt, cum reſiſtentiâ ſoli, in quod corpus illabitur, reactione ſuâ, impetui incur-

incurſus reſpondeat. Memorabile hanc in rem exemplum, apud Hippocratem exſtat, cujusdam cantatricis, quæ poſtquam multum cum juvenibus conſueverat, & inde gravida facta, elegantiæ vocis ſuæ, valde metuebat; aliquoties certâ ex altitudine, divaricatis pedibus deſilivit, quod etiam tam egregiè ei ceſſit, ut abortiret, ovulumque excuteret. Inde facile ſimul intelligitur, quomodo lapſus ex editioribus locis agunt; Ubi corpus in uterum cadit, aut in obſtaculum incurrat; neque intellectus ſequentium obſcurus erit, quæ intempeſtivam fœtûs excluſionem, tantum non ſemper produxiſſe obſervatæ ſunt. Nempe magni in elevatione oneris nixus, fortes clamores, effuſi cachinni, vectiones rudiores in equo, rheda, navi, ambulationes, curſus, quæ per violentas Diaphragmatis, pulmonum & muſculorum abdominis actiones, ratione expoſitâ in uterum operentur.

§. XX. Sunt etiam intra corpus, quæ æque uterum percutere & comprimere valent, ac modo recenſita extrinſecus advenientia. Sic vomitus enormes, ſæpe utero nocent, tam qui effectus morborum exiſtunt, quam qui à draſticis & valde emeticis producti ſunt. Dum ventriculum contrario fere motu invertunt, expulſionem violentam contentorum ventriculo, & inteſtinis producunt, invita ſimul, alternisque repetens muſculorum abdominis, & Diaphragmatis contractio adeſt. Quæ dum ita geruntur, uterus tanquam intra prælum hæret, & ſupra, & a lateribus, ſummâ vi cogitur, ac compreſſus ſe exonerat.

§. XXI. Frequentes tamen abortus cauſæ, ſub hac claſſe comprehenſæ, ſunt nixus magni, in fœcum ac urinæ excretionibus, editi. His enim ſub moliminibus, iniciis mulieribus, ovum quò recentius, eò crebrius exprimitur, ſeptum vero tranſverſum, ac muſculi abdominales, in maximâ actione conſtituti ſunt, quippe aëre retento, Diaphragma deprimitur, & abdomen conſtringitur. Hæc autem eo magis animadvertenda ſunt, quo frequentius difficultates hæ, propter veſicæ & inteſtini recti ſitum, occurrere debent. Ab utero enim ſe dilatanti, utrumque comprimitur, & moleſtiam in ſuis

functionibus percipit; maximè ubi dura poſt ſe ingeſta, reliquerint craſſiora ſcybala, aut acria ſalina quæcunque, urinam cieant. Hinc ſcitur, cur tenesmus, & vitia circa excretionem urinæ, ſtranguria, Iſchuria, tam facilè egreſſum ovi maturare queant, & quare pro peſſimis gravidarum vitiis, jam ab Hippocrate habeantur?

§. XXII. Nec minus ad promovendum abortum efficax eſt, quicquid fœtui, matri adjuncto, requiſitum alimentum ſubtrahere ac imminuere poteſt, cum nihil fœtus accipiat, niſi quod ex matre profectum eſt, defraudabitur victu ſuo, ubi ipſi matri nullus ſuppetit. Nutriendo autem fructui ſuo impar redditur, morbis quibuscunque diutius protractis, ac quibus totum corpus labefactatur, ejusque vigor & alibiles ſucci exhauriuntur. Inprimis ubi appetitus ſimul proſtratus, aut quod aſſumitur, pertinaci vomitu, aut citatiore alvi fluxu, continuo rejicitur. Nam Diarrhoeæ aut Diſſenterici fluxus, magnam humorum partem, ex viſceribus & vaſis in inteſtinorum cavum patulis, muci ac ſanguinis ſpecie educunt, & ex aucto periſtaltico motu, ac ſepti medii actione, ſpasmis, tenesmis & dolorificis contractionibus, omne abdomen & chylificationis opus perturbant atque evertunt. Sed non minus timendæ ſunt, immodicæ variarum partium Hæmorrhagiæ, quæ cum magnâ ſanguinis quantitate, matris vires & fœtûs alimentum effundunt. Largior ſanguinis per venas detractio, usque ad deliquium animi inſtituta, uti matris corpus debilitat, ita quoque fœtum neceſſario ſibi nutrimento privat. Quo ſenſu Hippocrates, venæſectiones abortibus cauſam præbere, rectè pronuntiavit. Graviores etiam matris morbi, cum fœtu communicantur, unde variâ ratione ægrotare, male nutriri, mori, ac præmaturè excludi poterit fœtus.

§. XXIII. Multa jam infenſa matri, infenſa fœtui enarravimus, nondum vero omnium malorum finis eſt, ſed alia adhuc reſtant, quæ ſingulari planè modo atque effectu, in genus nervoſum potiſſimum, dein etiam in ſanguinem agendo, abortum inferre ſolent. Atque hic primum ſibi animi Pathemata locum vindicant, interque ea maximè Ira & Terror, quæ non ſævio-

rem, quam in tenerrimis gravidarum corporibus, tyrannidem exercent, & graviora in his, quam in aliis mala inducunt.

§. XXIV. Ira (ut pulcrè dicit poeta) furor brevis eſt; Ubique hominem corripit, omnia ejus membra permutari videas, vultus inardeſcit, ſcintillant oculi, cor validius & celerius contrahitur, momentum ſanguinis in vaſorum latera intenditur, atque Ira idem ſubito facit, & eosdem effectus producit, quos Plethora concitata inferre ſolet.

Ora tument Irâ, nigreſcunt ſanguine venæ,
Lumina Gorgoneo, ſævius angue micant.

Ovidius.

Contra a Terrore, Facies, oculi ictu citius pallet, horrent capilli, & tremunt artus, ut Virgilius Æneid.

——— ——— frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine ſanguis.

Ab externis corporis partibus, ad internas ſanguis abripitur, & muſculi, ſubitaneâ & violentâ contractione corripiuntur, fœtus quaſi fulminis ictu percuſſus, in os uteri, vi magnâ adigitur, quod preſſionis impetui cedens, aperitur; dolores parturiendi ſuperveniunt, & fœtus præmaturè ejicitur. Et ſi talis ſit ſitus infantis, ut vis tota in placentam impingitur, pars aliqua ab utero divelletur, ſanguis purus magno cum impetu effluet, & ſalus ægræ, magis vel minus periclitabitur, prout inter uterum, & placentam ſit major vel minor ſolutio continui. Eis itidem quæ in genus nervoſum, & inde in ſanguinem vehementius agunt, immoderati poſt conceptum coitus, merito accenſendi ſunt. In eo enim actu, non modo calor, & aucta ſanguinis velocitas, per totum corpus excitatur; ſed ex gratiſſimo quodam ſtimulo, ſanguis in has partes impetu violentiori ruit, & vaſa uterina præ cæteris turgent, & incaleſcunt.

§. XXV. Etſi cauſæ jam recenſitæ, multas gravidas in abortiendi diſcrimen adducant, non tamen diffitendum eſt, ple-

rasque etiam, in magnâ parte ſexus ſequioris nihil efficere, ſed impune applicari. Nam quemadmodum in cæteris pene omnibus morbis, ægrotantium quædam prædiſpoſitio exigitur; ſic & in abortiendo, eadem omnino proclivitas admittenda eſt. Obſervatum eſt autem, fœminas ſucci plenas, pinguioris ac plenioris habitûs, ſanguineas, exquiſito ciborum apparatu utentes, & ſimul otio ac vitæ ſedentariæ deditas, huic maxime obnoxias fuiſſe malo. Deinde delicatas, tenerioris ac ſubtilioris ſtructuræ, & quam molliſſime educatas, non minus infelices, nec diu fœtum utero gerentes exſtitiſſe matres. Hæ enim facile uti in Atoniam totius corporis, ſic & in eam partium genitalium incidunt, & Chloroticæ, & malo Hyſterico obnoxiæ fiunt.

§. XXVI. Diſſimilis planè illarum fœminarum conditio eſt, quæ labore aſſiduo, & victu crudiore, idoneum corporis robur acquiſivere. Illæ potius viragines ad naturam virorum accedunt, ac fœtum quem conceperunt, fortius ſibi unitum rectè nutriunt, & debitum tempus retinent. Hæ plerumque extra abortûs cauſarum diſcrimen poſitæ, multa ſibi impunè applicare poſſunt, quæ fœminæ tenerioris & delicatioris texturæ fœtui peſſimè cederent.

§. XXVII. Ex his non admodum difficile erit, ſigna futuri, ac jam inſtantis abortus intelligere. Nam ubi plures, aut aliqua ex prædictis cauſis, in mulierem vere gravidam, & prædiſpoſitam egerunt, deinde dolores circa lumbos, & inferiora abdominis, & ad os ſacrum, plus ſemper increſcentes ſuboriuntur, cogitandum eſt de hoc malo. Quod eo certius eveniet, quando præterea ex orificio uteri aperto, ſanguis aut humores fœtûs, diſruptis ejuſdem membranis, aut alii loturæ carnis ſimiles, aut thrombi ſanguinei prodeant. Maximè ubi ſimul horripilationes, vomitus, palpitationes, capitis & oculorum dolores, ſpaſmi, convulſiones epilepticæ, ac alii dolores, egerendi fœtum conatus, & vehementes perturbationes acceſſerint. Ex ſolis tamen lumborum doloribus, per vices redeuntibus, nequaquam ſtatim ſequitur abortus, qui ergo nunquam fere inſtigari debent, ad liberandam a fœtu matrem, ſed

ſed idoneis obedire ſolent remediis. E contrariâ autem parte, uteri Hæmorrhagiæ, & gravia cum illis incedentia ſymptomata, inevitabile abortiendi periculum reddunt. Ubi fœtidus humor & corruptus, ex utero prodire incipiat, mortui fœtûs ſignum eſt. & ſi poſt graviorem aliquam violentiam externam, tertio die aut quarto adhuc reſtet fœtus, cum ratione; ſignis ſcilicet bonis, Abortus ceſſare ſolet; quamvis tamen mater ante decimum quartum diem extra omne periculum haberi non poteſt.

§. XXVIII. Pericula autem & eventus, ex abortu proficiſcentes, pro diverſitate cauſarum, tempore graviditatis, & majore vel minore prædiſpoſitione, multum diſcrepabunt. In genere, omnes abortus periculoſi haberi debent, eoque magis, quo adultior & perfectior fœtus exiſtit. Qui cum magnâ Hæmorrhagiâ, manente etiam placentâ, contingunt, qui ex graviſſimis cauſis, violentiis præſertim externis, excitati, multis modis matrem lædere, & necare poterunt; maximè ubi mala inveterata, hyſterica, & laxior totius corporis conſtitutio, omnes ejus vires extinxerint. Quibus omnibus ritè expenſis, quid hocce præſagiat malum, facilè inveniri poterit, ex judicio effectuum obſervatorum, & illorum inter ſe, & cum aliis comparatione.

§. XXIX. Jam quæ de abortu præcavendo in promptu habemus, ſunt edicenda. Atque hic quidem in principio profitemur, nullum, ad hoc malum avertendum, ſpecificum exſtare; ſed quicquid hujus rei fieri poteſt, ac præſtari a medico, id vero omne in diligenti ac ſagaci cauſarum abortûs cognitione, deinde in prudenti remediorum, ad illas tollendas aptorum, applicatione, verſari & unicè conſiſtere. Cum vero tanta cauſarum abortûs ſit multitudo, quarum plurimarum curandi rationem comprehendere, ultra anguſtos diſſertationis limites, nos abriperet. Illarum itaque tantum, enarrabimus curationem, quæ frequentiores, ſimul ac periculoſiſſimæ ſunt, & maximè huic morbo peculiares.

§. XXX. Atque ſic equidem Plethora, fœcunda abortuum mater, ſe primò conſiderandam offert, quos unde, & quomo-

modo, efficere poſſit, ſuperius vidimus; nunc quâ ratione, effectus ejus præcaveantur, exponendum reſtat. Omnis igitur ſcopus erit, juſtum humorum cum ſolidis equilibrium reſtituere, ſanguinem imminuendo, & ejus incremento ulteriori, occaſionem amovendo. Huc ſanguinis per venas detractiones, plurimum faciunt, quæ idem, ſed tutius omnino præſtant, quod natura in gravidis quibuſdam, per fluxus ſanguinis, omni quandoque graviditatis tempore contingentes, ſolet intendere. Hæc venæſectio non tantum ſemper in brachio inſtituenda eſt, ſed ſciri hic etiam debet, quantum ſanguinis, & quo tempore mittendum ſit. Poteſt ſtatim aliquot a conceptu diebus, in valde plethoricis detrahi, aut circa quindecimum diem, ante ſecundam periodum, quâ menſes erumpere conſueverant; & ſi ſymptoma aliquod gravius urgeat, ut dolores, vomitus, æſtus ſanguinis, non tantum ſingulis menſibus reiterari debet, uſque ad ſeptimum geſtationis menſem, ſed ut ſæpenumero cum utilitate feci, & ultra eum, etiam in ipſo partu celebrari. Pro rei autem neceſſitate, trium aut quatuor unciarum quantitas, alias, a ſex ad octo uſque mitti debet, habitâ, in hoc caſu, ratione virium, & habitûs corporis magis vel minus plethorici.

§. XXXI. Neque tamen hoc ſolo, Plethora ad præcavendum abortum, oppugnanda remedio; ſed alia ad ejus imminutionem auxilia ſunt adhibenda. Plurimum hic conferet, ſtricta legitimi victûs obſervandi ratio. abſtinendum eſt ſcilicet aſſiduo, ab omnibus eupeptis, & blandis facile in Chylum ſecedentibus alimentis, quin & ab iis, quæ humores facile in alcaleſcentiam diſponunt. Quo pertinent omnes, imprimis eorum animalium carnes, quæ multâ ac viſcida lymphâ abundant, ſcilicet Porcinæ, Bovinæ, piſces marinæ, & omnia ſalita, vel aromaticis ſtimulantibus condita. Deinde cavendum eſt, ab Emmenagogis medicamentis, potu fermentato ſpirituoſo, & præcipuè ab illa præpoſterâ ac immodicâ ingluvie, varii generis cibis potibuſque, inter lautiſſimas cœnas, inque multam noctem protractas, ventriculum onerandi, quæ etiamſi in primis viis turbas non incitent, in vaſis

ple-

plethoram certe inductura ſunt. Contrà præſcribendus victus tenuis, ex acrioribus, aut farinoſismollibus, fructibus horæis, oleribus, juſculis avenaceis, hordeatis aceſcentibus; eundem in finem commendanda decocta panis leviora, lacticinia, ex lacte & aqua parata, aliaque leviſſimi generis alimenta. Plethorâ ita aliquantulum diminutâ, ab otio revocanda eſt mater, & ei ſenſim major motus injungendus; nec ſomno diuturno ei indulgendum eſt, præſertim in molli lecto, multis ſtragulis coopertæ; aëre utatur ſicco & ſubfrigido, calido humidoque evitato, & ab omnibus animi Pathematibus ſedulo cavendum eſt.

§. XXXII. Sunt præterea non paucæ tenellæ, quæ febre quâdam hecticâ laborantes Plethoram, non tam ad vaſa, quam ad vires habent, indeque facilè abortiunt. His evacuationes obſunt, præter pauci ſanguinis miſſionem, & antihectica adminiſtrari debent.

§. XXXIII. Sed cum non modo divites ſanguine, verum etiam fœminæ, debiles, ac pulſum rarum & languidum habentes, laxæ, cachochymicæ, hyſtericæ, abortiendi periculo expoſitæ ſunt: harum itidem proclivitati, præmaturos excludendi fœtus, medendum eſt. In his autem viſcera chylopoetica, & omne corpus infirmitate laborant, ſanguis admodum tenuis, & Vigor pene nullus eſt, ita ut fœtus, nec ritè nutriri, nec probè retineri poſſit. Aliâ & contrariâ prorſus ratione his ſuccurrendum eſt, nec tam evacuationibus pugnandum, quam vires firmandæ, corpus roborandum, & debilitata, omni modo requiſito vigori reſtituenda ſunt.

§. XXXIV. Hinc ubi viæ primæ, multâ pituitâ ac ſaburrâ viſcidâ repletæ ſunt, & frequentes vomendi conatus adſunt, leve aliquod Catharticum, ex pilulis Ruffi aut Tartareis Bontii, ad climandum illos humores viſcidos, horâ ſomni propinandum eſt, aut ubi vomitus nimis moleſti, aut nulli fere remedio cedentes affligunt, emeticum lene, ex tincturâ Ipecaçuanæ exhiberi poteſt. Quod etſi primâ fronte periculoſum videatur, tamen ſi ad vomitiones prægnantium, animum attentè advertamus, niſus vomendi multo fortiores exiſtere invenic-

mus, ubi in ventriculum ſolum agunt, vel ad ſummum, in parvam phlegmatis denſi ac tenacis quantitatem, quam qui ex leni-emetico excitantur; quoniam inter vomendum, hauſtus alicujus liquoris diluentis, aſſumptus fuerit. finitâ autem ejus operatione, leve aliquid Paregoricum roborans adhibendum eſt, poſtea amara & ventriculum roborantia, adminiſtrari debent. Hic etiam notetur, hæc eadem ſæpe in Plethoricis, commodè uſui venire poſſe, ſiquidem in his quoque eædem indicationes, tantum non ſemper ſeſe offerunt, iiſdem tollendæ remediis.

§. XXXV. Repurgatis itaque, ubi opus fuerit, ventriculo ac inteſtinis, jam ea, ex ſex rebus non naturalibus primum ſeligenda ſunt, quæ tenellis noſtris conducere queant. In genere victus ſeligatur, ad nutriendum facilis, paucaſque vires ad ſui digeſtionem requirens, nec multas relinquens fæces, ex juribus carnium animalium ſucculentorum, maxime ex gallinaceo genere, dein vitulino &c. non admodum pinguibus, & paucis aromatibus conditis. His jungantur ovorum recentium albumina, in lactis tepentis æquâ portione diluta. Gelatinæ, cremores, decocta panis, admixto aliquanto vini, potus non aquoſi, ſed paulo generoſiores bibantur; ſcilicet vina aſtringentia, & alia paucâ, ſed ſæpius repetitâ copiâ aſſumenda. Somno etiam paulo magis, & calori indulgere poſſunt, non omiſſis tamen frequentibus corporis exercitiis, ambulationibus, ruſticatione, placidiore vectione in Curru &c. frictiones his ſaluberrimæ ſunt in extremitatibus, & Thorace cum pannis laneis. Ex medicamentis ea maximè ſunt eligenda, quæ abſque præcipiti & violentiori motu inducto, in intima tamen corporis penetralia, ac nervorum ſyſtema pervadere poſſunt. Antihyſterica, cardiaca, ſed præcipuè chalibeata liquida, longè alia in his affectibus curandis, poſt ſe relinquunt, corpus roborando, & ſenſim in firmiorem tonum deducendo. Varia eorum in hunc finem præparata exſtant, quorum optima, ex limaturâ ferri in vino Rhenano ſoluta, arte parantur, quibus ex vegetabilibus varia adjungi poſſunt. viz. Cortex Capparid. Aurantiorum, Winteran. &c. Rad. angelic. Nuc. Moſch. Cin-

namom. macis & nobiliſſimus ille Cort. Peruvian. Aquæ autem ſpadanæ, ad roborandum corpus & vires inſtaurandas, ut antiquiſſima ita optima ſunt remedia, & egregios in hoc morbo effectus præſtant, ſi cum vino rubro debitâ quantitate hauriuntur, nec pilulæ vel electuaria & aliæ medicamentorum formæ, pro ſcopo roboranti, hic negligenda ſunt. Inter hæc autem, quæ fibras laxatas roborant, balnea frigida non ultimum ſibi locum vindicant, ſi ante & poſt impregnationem, uſque ad tertium vel quartum menſem adhibeantur. Egregii etiam uſus, in ejuſmodi fœminis, uterum & ejus ligamenta laxa & debilitata habentibus, emplaſtra roborantia deprehenduntur, imprimis ubi ea lumbis applicata, perpetuò fere geruntur, niſi quod pruritu & calore, ex prohibitâ maxime perſpiratione, orientibus, aliquandiu removendæ ſint, deinde autem renovanda, novaque hac ſub cautelâ imponenda ſunt. Inſigniter enim partes leviter ſtimulando, fovendo, calefaciendo, perſpirabile repercutiendo, firmant, ac amiſſum partibus robur conciliant. huic ſcopo etiam maximè, ubi ligamenta uteri, aliæque ejus partes nimis relaxatæ ſunt, pulchrè reſpondent medicamenta aſtringentia, cum balſamicis mixta viz. pilulæ vel electuaria ex terrâ Japonicâ, Cort. Granat. Maſtich Sang. Dracon. Rhabarb. Terebinth. Cypreſſ. Succin. Croc. Mart. Aſtring. parata, item Elix. Vitriol. Tinct. Succin. &c.

§. XXXVI. Brevibus itaque, quæ maximè ad abortum præcavendum, dictu neceſſaria videbantur, expedivimus. Supereſt, ut quædam ſymptomata, ante, inter, & poſt abortum crebro ſupervenientia, quæque citiſſimam ſui ablationem expoſcunt, adjiciantur. Inter quæ, omnium periculoſiſſimum, Hæmorrhagia uterina haberi debet, frequentiſſimum, quod abortientes excruciat, ſymptoma. Huic imprimis tunc temporis obnoxiæ ſunt, ubi jam aliquot menſibus proceſſit graviditas, tunc enim ſemper ruptâ aut in totum, aut ex parte placentâ, originem trahit, & abortum neceſſariò infert. Fluit autem ſanguis, ex vaſis uterinis, per dilatatum uteri orificium, tanta ſæpe cum vehementiâ, ut remanente tamen fœtu, mater magnopere debilitata, effuſo vitæ theſauro, in animi deliquia incidat, & de vitâ non raro periclitetur. Pergit

git enim, ubi ſolutus reſtiterit in utero fœtus ſanguis fluere, niſi morâ ac frigore coagulatus, veluti in aneuriſmate ſpurio, ſibi ipſi viam occludat, dum grumoſus factus, uteri os internum obturat, quod tamen breve tantum malo intervallum facit, cum mox ac remotum, ex quâcunque cauſâ obſtaculum fuerit, iterum effluxurus, ac niſi auxilium ferri poſſit, matrem in mortem daturus ſit.

§. XXXVII. Quo rerum ſtatu, omni modo nitendum eſt in extractionem, ac eductionem fœtus cum placentâ ſuâ, ſi id ipſum ulla ratione fieri poſſit. Hunc in finem, os uteri digitis leniter aperiendum eſt; Membranæ, niſi id jam factum fuerit, diſrumpendæ ſunt, ac fœtus per pedes protrahendus; ſic enim uterus, optimè, naturali fibrarum ejus contractione, orificia dilatata claudet, ac fluxum ulteriorem ipſe compeſcet. Sed ſi id fieri nequeat, ob os uteri non ſatis apertum, imo adeo ſæpe clauſum, ut vix ac ne vix unum quidem digitum admittat, ſed turgidum ac contractum arctè conniveat, quid tunc conſilii? Hic ſanè præſenti animo, ſæpe & cunctatione opus eſt, ne prodeſſe feſtinantes, plus noceamus. Nam ſi magnâ vi, orificium illud ita conſtrictum, aperire nitamur, quia id admodum ſenſile eſt, acutiſſimos dolores, & ipſam inflamationem fere ſemper lethalem excitabimus, aut inter hæc ipſa conamina, Hæmorrhagiam vel impetuoſiorem revocabimus, matri vitam cum ſanguine erepturam.

§. XXXVIII. Verum ſi nil agamus, & ſanguis fluere pergat, tamen actum erit de ægrâ, Quid ergo? in tam ancipiti, & deſperato caſu, etiam paulo audacius licebit, atque cum aliquâ temeritate, quæ modo poſſunt, tentare remedia. Nihil autem hic videtur relictum eſſe, quam ſanguinem ab utero, quantum fieri poteſt, in alias partes avocatum revellere. Huic vero intentioni, ligaturæ ſupra extremitates, brachia, & femora factæ, non parum ſatisfacere poterunt; dummodo ut oportet inſtituantur, venaſque tantum, non autem arterias ſimul multum comprimant. „ Unde „ id efficietur, ut ſanguis qui in ligatam partem, per arte- „ rias influit, per venas ejuſdem partis refluere in totum

„ cor-

„ corpus non poſſit, ſed in eâdem parte quieſcat, & con-
„ tinuè novus influat; præſtant itaque ligaturæ, ut univer-
„ ſa quantitas ſanguinis, in corpore reſidua, minor ſemper
„ ac minor evadat; * quo pacto, momentum in uteri vaſa multum minuetur, & ejus vaſorum orificiis, ſeſe contrahere valentibus, ipſe fluxus tolli poterit.

§. XXXIX. Præter ligaturas, etiam aliud adhuc tentari poterit, ſcilicet, ſanguinis refrigeratio ac incraſſatio. Ubi calidus & fervens eſt ſanguis, ſemper quoque rarefactus eſt, & qua datâ portâ, ſemel ruere incepit, inde difficillime revelli poteſt, frigidus autem lenteſcit in motu ſuo, nec tam concitato fertur. Optime autem, hunc effectum julapium aliquod, ex aquâ plantaginis, cum multo oleo vitrioli, Bol. ver. Armen, & paucâ ſacchar. Saturni quantitate, & Syr. Papav. Errat. q. ſ. præſtabit, quod in vino rubr. auſtero, & aquâ, ſæpius & pro re natâ repetendum eſt; ex quorum uſu non raro voti compos factus ſum. Juvat etiam, ſi remoram aliquam, ſanguini fluenti in ipſis genitalibus injicere queamus, quo fit, ut tempus pro inveniendis aliis auxiliis lucremur, & naturæ etiam anſam præbeamus, quo felicius dein, exitu ſibi parato, cooperari ac inſurgere poſſit. Aliquando hoc ſponte, ut diximus, per ſanguinis coagulationem, quâ os uteri obturatur, aut ſupervenientibus animi deliquiis fit, nonnunquam per aſtringentia exterius applicata obtinetur; nempe lintea duplicata, in Oxycrato bene madefacta, deinde expreſſa, pudendis, inguinibus, lumbis, & abdomini, frigide ſunt imponenda, & quamprimum caleſcunt, renovanda. Placida dein quies, absque ullâ corporis commotione, leviter duntaxat tectæ, nec in lecto molli repoſitæ, imperanda, aërisque liberioris ac frigidi acceſſus, minime ex cubiculo eſt prohibendus. Quod ſi talis ſit rerum ſtatus, ut fœmina abortum paſſura, tantam ſanguinis copiam projecerit, ut viribus proſtratis, animo relicta ſit, fluxu etiam ſanguinis prorſus cohibito; quæri poteſt, an tunc temporis, ore licet uteri aperto, eductioni fœtus, omni molimine ſtudendum ſit? Nihil omnino tunc quidem agendum, ſed lene modo ſtypticum, ad præcavendum fluxum, præſcribendum eſſe exiſtima-

* Bellini de ſanguinis miſſione.

ſtimamus. Dein paulatim enitendum, ut dilutioribus juſculis carnium, non calidis ac ſtimulantibus, vires reficiantur. Sic viribus quodammodo reſtitutis, pulſuque iterum paulo fortiori ac pleniori facto, multo tutius abortûs extractionem moliri poſſumus (licet iterum ſanguis profluat) quam ubi vires adeo ſunt attritæ, ut vel inter, vel mox poſt labores, convulſionibus, & Lypothymiis correpta, mater animam reddat, neceſſe ſit. Ubi vero fluxus redit, etiamſi nondum recuperatis viribus, educendus quovis modo eſt fœtus, cum mater tamen in hoc caſu, ſalva manere nequeat, & præmonitis, de incerto eventu, aſtantibus & amicis, dubium adhibere remedium præſtat, quam nullum.

§. XL. Cum autem rejecto jam abortu, & ſecundinis remotis, uterus quam frequentiſſimè multis ſordibus, ac impuritatibus ſcateat; ſive has diuturnior Hæmorrhagia, ſive corruptio & putrefactio fœtûs in utero ante ſui rejectionem effecerit, detergendus & eluendus eſt uterus, injectionibus ex decocto Hordei, Myrrhæ, Rad. Ariſtoloch, Tinct. Myrrhæ ſimpl. & melle. Interne adminiſtrari debent medicamenta ex Myrrhâ, Gummatibus ferulaceis &c. Emmenagoga, antihyſterica, & cathartica ex Aloë &c.

§. XLI. Denique, quod veluti in tranſitu dictum ſit, ſi jam abortus bimeſtris vel trimeſtris inſtet, parte placentæ ex utero divulſâ, neque tamen vires ad expellendum ſatis valeant, optimum eſt, ut mitibus Emmenagogis, & oleoſis balſamicis, abortum leniter ſollicitemus, matremque gratis reficiamus cardiacis; Spasmi nimis urgentes opiatis mitigandi, & res tota naturæ committenda, cujus ductum patienter ſequi oportet.

§. XLII. Hæc de vitiorum, quæ gravidis abortum afferre ſolent, & ſymptomatum inter, & poſt eum, maximè affligentium curatione, dicta ſufficiant. Multa præterea his, addi poſſent. Sed nimis increſceret opuſculum, & contra ſcopum noſtrum ageremus, qui præcipua modo attingere, & legibus Academicis ſatisfacere voluimus. Multa etiam a circumſpectione gravidæ, & temperantiâ pendent, uti eſt juſtum circa ſex res non naturales regimen, violentiarum externarum, immodicæ

dicæ veneris, pathematum animi, & aliarum bene multarum rerum evitatio, quibus facile eſt ſe abſtinere, utpote magnâ ex parte, in ſuo arbitrio poſitis. Hoc tantum admoneri liceat, maxime conſultum eſſe, fœminam ad abortum prædiſpoſitam, aut morbis quibusdam eo proclivem, non prius viro conſueſcere, quam ab his vitiis omnino liberata fuerit. Multa enim præſente jam graviditate, non tam facile amoveantur, quam antea licuiſſet. Quod quâ ratione fiat, maximè reſpectu prædiſponentium Plethoræ, ac nimiæ debilitatis, paulo ante enarravimus.

F I N I S.